



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

30. An Milites Divi Iacobi, Calatravae, Alcantarae, & Divi Ioannis teneantur
ad eleemosynam, si beneficia possideant Ecclesiastica? Ex part. 5. tract.
8. r. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

dicens esse verè pensionis dominos, Respondet quòd nunciam video Authorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc, ad vberiores, vel alias elemofynas, quam alios seculares, licet enim bona sint Ecclesiastica, datur tamen in pensionem propter bonum Ecclesiasticum eo modo vt vidimus in alimentis, & status pensionarij non obligat eum, nisi fit aliàs beneficiarius ad elemofynas aliter, quam alios laicos; si verò sit beneficiarius ille, talis tenebitur ad prædicta ex beneficij superfluo, ratione cuius in eo est constitutus status; Ita ille.

3. Tertia opinio, cui ego tanquam probabiliori adhaereo, distinguit. Ita Molina de *Iustit. tom. 1. tract. 2. disp. 145. num. 5.* sic asserens. Nauarrus ex Bulla Pij V. rectè colligit pensionarios annumerandos esse cum beneficiariis ad effectum, vt quæ ultra suam competentem sustentationem ipsis de pensione superfluent, teneantur in vita expendere in operibus pijs, & vt post mortem computanda sint in spolijs Clericorum, id quod monito 90. multis confirmat quod intelligendum est de pensionarijs Ecclesiasticis, secus de laicis, quibus ob bonè merita, aut obsequia, pensio est concessa. Hæc Molina. Dicendum est igitur quòd si pensio est Ecclesiastica, tunc adest obligatio largiendi elemofynas; secus autem si sit laicalis: & ita hanc sententiam docet etiam Hurtadus de Mendoza in 2. 2. disp. 160. sect. 7. §. 117. vnde ita ait. Clerici omnes tam prædicatorij quam pensionarij, tenentur erogare in elemofyna medietatem superflui ex congrua sustentatione, quia illud est verè Ecclesiasticum beneficium, est enim pars fructuum Ecclesiasticorum. Datur item titulo Ecclesiastico, non enim datur frequenter nisi Clericis, & cum onere recitandi Officium B. Virginis; si verò datur titulo laico, non est eadem ratio. Ita ille, qui citat pro hac sententia Azorium, cui etiam ego addo Castrum Palam *tom. 1. in 6. disp. 2. punct. 7. n. 2.* Sanchez in *opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 47. num. 5. & 6.*

4. Notandum est tamen quòd si aliquis pensionarius sequi veller opinionem Vasquez, ego eum non damnarem de mortali, nam præter auctoritatem tanti viri, facit etiam pro dicta sententia Gigas de *personibus. §. 2. n. 2. & seq.* vide etiam Couarr. *cap. cum in officijs, de testam. num. 9.*

RESOL. XXX.

An Milites D. Iacobi, Catalanae, Alcantarae, & D. Ioannis, teneantur ad elemofynas, si beneficia possideant Ecclesiastica? Ex p. 4. tr. 8. Rel. 30.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Nauarrus de *restitut. quest. 2. mon. 38.* vbi probat hos milites habere obligationem impendi operibus pijs totum residuum de congrua sustentatione, & ita etiam docet Mora, Ayala, & Sa apud Sanchez in *summa tom. 2. lib. 7. cap. 8. num. 29.*

2. Sed ipse ibi meritò contrariam tenet, quam nouissimè tuetur etiam Hurtadus de Mendoza in 2. 2. disp. 160. sect. 7. §. 119. vbi censet hos milites non teneri ad expendendum residuum ex congrua sustentatione, nisi ex instituto suorum Ordinum, quod eos non obligat, nisi ad certas pensiones, vel ad Ordinis administrationem, seu gubernationem, vel ad sumptus militiae contra infideles. Ratio est, quia illæ commendæ dantur titulo laico: ergo non tenentur ad illas expendendas more Clericorum. Consequentia datur ab aduersarijs, & probatur à simili, tum, quia Cantor, cui propter musicam organorum, tibiaram, aut alia, datur stipendia Ecclesiasticarum facultatum, non tenetur ea expendere more Clericorum, etiam si

Clericus sit, vt ex ipso Nauarro ostendi. Secundo, quia Cathedralicus accipit interdum salaria ex terribus partibus decimarum, quæ dispendere potest, vt velit, quia titulo laico dantur. Antecedens potest, vt velit, quia Commendæ dantur ad militiam, tenentur enim milites militare quoties id imperet Magister, vt verò tota Religio sit accincta ad arma capellenda videntur Magistri præcepto, sunt proposita illi præmia, quorum spe redduntur animi æquiores, & quibus obtentis accipiunt præmia militarium laborum. Non tenetur Musicus sua stipendia more clericali erogare, & tenebitur miles, cui incumbit obligatio ad effundendum sanguinem? Secundo, illa obligatio esset in laicum, milites enim non sunt tam scrupulosi, vt perpendant, quid super sit, quid ve satis sit, bona autem pars obligationis, imò tota nititur perfectioni status clericalis, & curæ pastoralis, quæ in milite non reperitur.

3. Nec valet dicere quòd Equites D. Ioannis videntur solemnè votum paupertatis, nam licet eorum votum in solemnitate sit votum perfectum; at non tam perfectum ex parte obiecti, quam votum Clerici Regularis, aut Monachi, vobens enim paupertatem iuxta suam regulam, quæ paucis in rebus eos obstringit, est enim laxa, quia est regula militum Nobilium, quos non expedit illaqueare minutis præceptis, sed nonnullis & laxioribus, quibus obseruetur virtus in militia, eamque ob causam illæ Commendæ sunt à Papa donatæ militibus. Ita Hurtadus loco citato. Vide etiam Azorium *tom. 1. lib. 13. cap. 4. quest. 6.* vbi asserit hos Equites non teneri ad opera pia, sed sufficere, si non in vsu prauos Commendas expendant. Vide etiam Villalob. in *summa tom. 1. tract. 2. diff. 5. num. 7.*

RESOL. XXXI.

An Priores, Abbates, & alij Clerici curam animarum non habentes teneantur inquirere pauperes, & ipsi elemofynas faciant de superfluis ex redditibus Ecclesiasticis? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Rel. 158.

§. 1. **A**libi satis firmam ad hoc teneri Episcopos, & beneficiarios; nunc quæro an alij Ecclesiastici qui curam animarum non habent, ad id etiam teneantur, & affirmatiuè respondet Auendatus in *restitut. quest. 19. n. 9.* Abulen. Honcala & Gregor. Lopez quos citat Sanchez.

2. Sed ipse in *opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 39. n. 4.* & 5. contrarium docet, sic enim asserit. Laici non tenentur ex officio, seu statu suo querere pauperes, sed fat est si occurrentibus subueniant: Clerici habentes redditus Ecclesiasticos superfluos, tenentur querere pauperes, tum quia ista bona superflua tenentur speciali vinculo pauperibus dare, & sic si non occurrant, tenentur illos querere; tum etiam, quia ratione status specialis cura pauperum ipsis incumbit. Sed nota hoc esse verum de solis Episcopis & beneficiatis curam animarum habentibus, hi enim ratione officij tenentur ad id: at cæteri Clerici cum pastores non sint, nec animarum curam habeant, non videntur ad id teneri. Ita Sanchez, qui citat Cordubam & doctos recentiores Magistros; sed de hac questione infra iterum redibit sermo.

RESOL. XXXII.

An Monasteria Religiosorum, quibus proventus redolant, teneantur de illis elemofynas facere? Et